



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Gregorii Papae I. Ad Donvm Episcopvm Messanensem. De  
vſu pallii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLA VIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD DONVM EPISCOPVM MESSANENSEM.

De vsu pallii.

*Gregorius Dono episcopo Messanensi.*

**A**POSTOLICÆ sedis benevolentia atque antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Messanensis ecclesiæ gubernatione suscepisse constat officium, pallii vsum prouidimus concedendum, illis vide licet temporibus atque ordine, quibus decessorem quoque tuum vsum esse non ambigimus: hoc nihilo minus admonentes, vt sicut a nobis huiuscemodi decoris vsum ad sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ad gloriam Christi nostra susceptum auctoritate adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huiuscemodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona omnia concordent. Omnia enim priuilegia, quæ tuæ primæ concessa esse constat ecclesiæ, nostra auctoritate fir-mamus, & illibata decernimus permanere.

EPISTOLA IX.

GREGORII PAPÆ I.

AD BONIFACIVM EPISCOPVM REGIENSEM.

Ei Carinensem coniungit ecclesiam.

*Gregorius Bonifacio episcopo Regiensi.*

**P**OST QVAM ecclesiæ Carinensis, defuncto eius antistite, alium ordinare, nec loci deserti habitatio, nec finit imminutio personarum, maiori cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus, si consistentes ibidem pastoris fuerint moderamine destituti, per inuia fidei hostis callidi rapiantur insidiis. Hoc ergo nostro sedit cordi consilium tuæ eam solitudini debere committi, quod facere per præsentia scripta perspeximus. Cuius vt curam gubernationemque studiosius habere gerereque festines, tuæ eam ecclesiæ aggregari vnirique censemus, quatenus vtrumque ecclesiarum sacerdos recte Christo adiutore pos-